

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula IIX. Genus est materia, differentia ut forma

urn:nbn:de:bsz:31-102400

E. præceptorum comprehensio non est de essentia artium.

Minor probatur: datur artifex absque comprehensione præceptorum. E. & ars potest dari absque comprehensione præceptorum. Consequentia patet ex loco conjugatorum. Antecedens probatur: dicitur aliquis actu & formaliter artifex, v.g. Medicus aut architectus, etiam dum dormit, comedit, ludit; nec tamen tunc actu & formaliter in ipsò præcepta sunt. Tunc enim solum præcepta eorumque comprehensio actu in aliquo sunt, cum ea concipiuntur, siquidem nihil aliud sunt, quam propositiones: propositiones autem actu & formaliter non sunt, nisi quando actu formantur. At quis dicat, inter dormiendum, comedendum aut ludendum propositiones artium semper ab artifice formari & concipi?

REGULA IIX.

Genus est ut materia, differentia ut forma.

I. Genus est ut materia, VII. *Metaph. c. XII. t. 43.* Genus est materia ejus, cujus dicitur genus, X. *Metaph. c. XI.* Genus est simile materiae, differentia formæ, ait Porphyrius in *Isagoge.*

II. Genus non est materia, nec differentia ipsa

ipsa forma: I. quia in substantiis separatis genus & differentia dantur, non autem materia & forma. II. Quia etiam in substantiis ex materiâ & formâ constantibus, nec materia nec forma prædicatur de specie, ut homo e. c. nec est corpus, (sumtâ hâc voce pro alterâ hominis parte) nec anima. At & genus & differentia prædicantur de specie. III. Quia materia & forma differunt realiter; genus autem & differentia secundum rem idem sunt, & solâ ratione distinguuntur, quemadmodum demonstrat primus Philosophus.

III. Utrumque igitur, & genus & differentia, per se est tota rei essentia, & in substantiis compositis materiam & formam simul important. Distinguuntur autem ratione, quia genus est ipsa res, seu ipsa essentia rei, quatenus concipitur ut aliis similis. Differentia autem est ipsa res, quatenus concipitur ut aliis dissimilis. V. g. quatenus hominem concipimus, ut connotat principium sentiendi, in quò brutis similis est, vocatur animal, quod est genus ejus; quatenus verò ipsum concipimus, ut connotat principium ratiocinandi, in quò est brutis dissimilis, dicitur esse rationalis, quæ est differentia ipsius specifica.

IV. Quanquam autem, sicuti demonstra-

vimus,

vimus,
nec diff
materia
in hoc c
lam hab
formas
rum di
includi
sicut ma
nabile,
genus e
differen
tam spe
dicitur
dicitur
ratione
phys. cap.
nus esse

I. Vu
gative
pliciter
pradica
ti in en
vera est
rectè in
animal
rum na

vimus, genus non est propriè ipsa materia, nec differentia forma, est tamen illud instar materiæ, hæc, instar formæ: quæ analogia in hoc consistit, quod sicut materia ex se nullam habet formam, apta tamen est ad omnes formas suscipiendas: Ita genus nullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu includit, aptum tamen est, eas recipere. Vel; sicut materia est quid indifferens & determinabile, quòd determinatur per formam; ita genus est quid indeterminatù & indifferens, differentia autem ipsum determinat ad certam speciem. Quod ergò *X. Metaph. cap. XII.* dicitur genus esse materia ejus, cujus genus dicitur, non propriè intelligendum est, sed ratione hujus analogiæ. Unde & *VII. Metaphys. cap. XII. r. 43.* non ait Philosophus; *Genus esse materiam*, sed esse, *ut materiam.*

REGULA. IX.

Negato genere, negatur species.

I. Vulgò ita dicitur: *A genere ad speciem negativè valet consequentia.* Quod quidem dupliciter potest intelligi: I. *de existentia.* II. *de prædicatione,* sive ut genus stat locò prædicationis in enunciatione. Utròque modò Regula vera est. Nam ex eò, quod genus non existit, rectè inferitur, neque speciem existere: ut, si animal non est, nec homo, nec brutum in reum naturâ erit,

II. Quans